FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT...

Franz Ernst Bruckmann

FRANC. ERNEST. BRÜCKMANNI,
MED. DOCT. &c.

EPISTOLA ITINERARIA XXXVI.

SISTENS,

MEMORABILIA SEMPRONIENSIA,

AD

VIRUM NOBILISS. CLARISS. ATQUE DOCTISS. DOM.

DOMINUM

HENR. JACOBUM SIVERS,

PHILOSOPHIÆ MAGISTRUM ET REGIÆ BORUSSICÆ SOCIETATIS SCIENTIARUM BEROLINI ERECTÆ COLLEGAM MERITISS.

AMICUM ET FAUTOREM COLENDISSIMUM.

CUM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENB. MDCCXXXIV.

VIR CLARISSIME ATQUE DOCTISSIME,
AMICE SUAVISSIME!

IN montibus Semproniensibus, *Vir Clarissime*, præstantissimum totius Hungariæ inferioris vinum crescit est sulphureo-volatile, dulce & aurei plerumque coloris, (rubrum hic vile est, nec æstimatur) generosissimum, odoris confortantis suavissimi, saporis pæne ineffabilis suavis, exhilarans & nutriens. Silesii plerumque istud emunt & in regiones suas, integris plaustris, deducunt. Vinum dulcissimum spirituosum, Ausbruch dictum, hic loci quidem non paratur, sequenti autem modo in quibusdam aliis Hungariæ locis conficitur: uvæ maturæ, quod ad petiolos semi resecantur, ita ut in vitibus pendulæ maneant, donec solis ardore flaccidæ redditæ, hæ demum prius a torcularis calcantur & exprimuntur. Vinum Sopronense & tartarum in doliis deponit. Post hujus loci Nectar, optimum in Hung. inferiori vinum est Budense rubrum, bonum vinum cibarium, Tisch-Wein dictum egregie fallens, stomachicum, tonicum, parum adstringens; album ibidem rarissimum est.

Die 5 Nov. toto aëre primum ninxit, sol quidem meridianus nivem illam resolvebat, interim tamen vindemiæ damnum afferebat.

Urbs unicam tantum habet domum, in qua cerevisia coquitur, quæ vero, cum vilis sit, non multum æstimatur & a paucis bibitur.

Viros dictos Sopronienses, Dom. Pilgram, verbi divini Evangel. ministrum vigilantiss. Doct. Med. Neuholt Dom Artner, JCtum celeberrimum, qui in oppidulo Rust ad lacum Pisonis in præsenti vivit, Dom. Joh. Matolay, Candidat. Theol doctiss. frequentavimus, juxta ac Dom Dopnerum, Advocatum & JCtum famigeratum, qui nummophylacium & variarum rerum rariorum apparatum possidet, ex quo speciatim notanda: 1) perplures nummi antiqui in Hungaria effossi. 2) Consulares & Imperatores, secundum ordinem, ferme omnes. 3) Numisma Augustum, Poloniæ Regem gloriosiss. memor. aperto thorace & corde diviso, in quo D Lutherus videndus, exhibens. 4) Multæ res naturales & curiosæ artefactæ, v. g urnæ gentilium sepulchrales, lampades, vasa lacrymalia in solo Semproniensi reperta, sagittæ Turcicæ, globuli Martiales s. minera Martis rotunda, variæ magnitudinis, ex vinearum montibus Sempronienl. das Glaser-Weingebürge dictis, quorum fig. vid. in nostris Magnal. Dei in locis subterran. Tom. I. Tab. V. fig XI p. 257. Patella ex cupro cæmentato Neosoliensi; Asbestus. Lignum petrifactum Sempron. Sella, in qua sedens seipsum vehit. Brachialia veterum ferrea capitibus serpentinis ornata. Scriptorum illius, Historiam & jura concernentium, partim editorum, partim edendorum, sequentem catalogum folio 4t impressum nobiscum communicavit, quem verbotenus inserere hic placet:

SEBA-

SEBASTIANI FERDINANDI
DOBNERI à RANTENHOF,
Sopronienſis Hungari JCti lucubrationes:

1.

LExicon Juris Hungarici.
2. Inſtitutiones Juris Hungarici.
3. Hiſtoria Juris Hungarici.
4. Sciagraphia Dichotomica Tripartiti.
5. Doctrina Defenſæ.
6. Thavernicalia.
7. Hungaria Subterranea, i. e. delineatio nummorum veterum in Hungaria erutorum.
8. Neue Reim Art, in Teutſch und Hungariſcher Sprach.
9. Harmonia Juris Divini & Hungarici ſecundum ductum Evangelicorum.
10. Conamina linguæ Hungaricæ.
11. Regni Hungarici leges in ordinem alphabeticum redactæ.
12. Topologia Sopronii.
13. Proſopopæia Imperatorum, eorumque vita, ſymbola, fata & epitaphia.
14. Loci communes.
15. Supplementa in Aszalayanum opus.
16. Cautio circa Proceſſum criminalem Hungariæ.
17. Rationes contradictionis contra inofficioſum Teſtamentum.
18. Collectio ſcriptorum Atheiſticorum.
19. De Jure dotalitiorum Sopronienſium.
20. Eraſmus vacillans.

21. Pa-

21. Parens satisdationibus non obnoxius.
22. De concursu Creditorum.
23. Vita Alexandri M. heroico carmine scripta.
24. De facili redemptione 13. oppidorum D. sc. Politico Juridicus.

In armamentario panem ostendunt petrifactum, de quo & fragmentum Dom. modo jam laudatus Doppelius possidet. Artolithus proprie non est panis petrifactus, ein zu Stein gewordenes Brod/ sed potius lapis figuram panis præ se ferens. Exempla panis in lapidem mutati vid. apud Pitzschmannum von Schlesischen Gesundbrunnen p. 76. 77. it. Valentinum in Mus. Museor. Part. II. p. 27.

Gymnasium Evangelicorum ibidem est bene constitutum, in hoc supra nominatus Dom. Deckart, munere Rectoris fungitur, & cum sex collegis Philosophiam, linguasque Latinam, Hungaricam, Sclovacam & Germanicam docet.

Urbs duas portas majores & unam minorem habet; it. duas apothecas pharmaceuticas Evangel. Physicus urbis erat D. Hartung, Romano Catholicus; & D. Liebezeit, Evangel. poliater celeberrimus est. Physicatus hic loci est dignitas ambulatoria, Medicus Rom. Cathol. ad dies vitæ ista gaudet, quo mortuo, Medicus Evangel. in ejus locum succedit, & sic porro, una vice Evangel. & altera vice Romanus. Victum & amictum incolæ, quod ad majorem partem ex vino, cum quo magnam exercent mercaturam, habent. Lingua in urbe communis est Teutonica. Monetarum & Hungaricarum & Cæsarearum usum habent. Frumenta & victualia, nec non vinum, nostro tempore, nullus

bus erant pretii in Hungaria, modius trítici XVI cruciegers, & libra carnis $1\frac{1}{2}$ cruciger. vendebatur. Dono hic accepimus fabas quasdam minores, sub titulo: Ungrische Caffe-Bohnen, quas quidam, loco granorum Coffe, ibidem in usum trahere solent, sed admodum amaricantes sunt,

Strumæ & scrophulæ, tumores p. n. glandularum colli & aurium, hic & in vicinia frequentes, Ab antiquis hoc malum spongia strumali, Bad-Schwamm, superstitiose curatur: emunt istam in taberna pharmaceutica, sed digitis non aute, quam pharmacopœus istam in terram projecerit, attingunt; tunc parte calceamenti posteriori lignea, Abins am Schuh, calcant, terque in ista sese circumrotant; tunc manibus apprehendunt, in pulverem comminunt & ægrotis propinant.

Fructus torrefactos, geschicktes Obst dictos, sequenti modo parant: conquunt v. g. pyra, tunicam exteriorem detrahunt, in furno torrefaciunt; & in ista undique amygdala dulcia decorticata concisa infarciunt; pruna siccanda, ab ossibus liberata, horumque loco amygdala decorticata alba, vel quarta nucis juglandis parte in ista intrusa, arefaciunt. Ejusmodi fructus, in conditorum, confictures, & mensarum secundarum locum, vinum bibentibus apponuntur & substituuntur.

Semproniti est integra sylva Castanearum, in qua cives singuli certas arbores, quas quotannis quassare & demetere possunt, habent; magnus his fructibus repletus saccus duobus vendebatur florenis; plurima castanearum pars cum puraminibus hic coquitur, & demum,

demum, detracta tunica, comeditur, rarissime assatur. Cyclaminis quaedam species sponte in hac sylva late floret. Frumentum Turcicum, alias Mais, in Hungaria Kuckerutz appellatum, hoc inde inter vites plantatur, cedit equis, porcis, anseribus in pabulum gratum, hominibus pluribus nimium duce est. Wallachi panem suum flavescentem, quem Male vocant, ex hujus farina coquunt; grana hujus tritici, ratione coloris, sunt alba, lutea, nigra, rubra, purpurea brunna & variegata, & saepe una arista omnium dictorum colorum grana in se continet.

Boves Hungarici, quorum pulcritudo & proceritas jamdudum est celebratissima, sunt admodum magni, coloris cinerei & fulvi, hujus causa inde, quod nunquam ferme sub tecto dormiant, sed omni tempore, diurno & nocturno, aestivo & hyberno, in campis & pratis pascuis maneant, deducitur; cornua in fronte gestant longa, magna & albicantia, quorum extremitates nigricant; in ventriculis non raro tophi & globuli, leves & quasi politi, Haar-Bälle & Kugeln, moschum quodammodo redolentes, generantur; quendam ex vaccae Hungaricae ventriculo desumtum

Fig. I in Museo nostro conservamus, quem Fig. I. in tabula apposita exhibet.

Oves singulae, quarum jam plures hoc tempore in Hungaria agnellos lactabant, cornua contorta, interdum ulnam cum quadrante alta, gerunt, horum unum linea imminuta, nach dem verjüngten Maßstab,

II. Fig. II appposuimus.

Quercus in sylvis admodum crassae & procerae,

V. VI. IV. quod ad folia, quae Fig. V. VI. & glandes Fig. IV quae Germanorum glandes querneas crassitie & magnitudine,

dine superant, cum calicibus magnis hirsutis & crispis, & alio monstroso quodam hirsuto æque vegetabili, videnda, ab arboribus quercicis in Germania multum distant. Laricis, quæ arbor in montibus Hungariæ nunquam non læte viret, conos in magnitudine naturali Fig. III. communicavimus.

Die VII. Nov urbi valediximus, & per pagum Mandorff, in quo monasterium ordinis St. Pauli, Paulinier-Mönche, *Neostadium*, vulgo Wiener-Neustadt, quod 4. mill Sempronio & 6 Vienna, Stiriam versus, non procul a fluvio Leuta, distat, profecti sumus. Multis retro seculis *Quadrata* Neukirchen vocabatur, & magna olim fuit urbs. Leopoldus V. Ao 1186. ex lapidibus angularibus quadratis musco obductis, Neostadium, urbem pulchre structam & contra hostes optime munitam, erexit. Hoc propugnaculum, cum nunquam hactenus expugnatum sit, adhuc virgo est. D. Jacob. Wolff Folseis erat urbis physicus, & Doct. Wolff poliater. Pharmacopolia duo adsunt & 7. monasteria: 1) Canonicorum 2) Soc Jesu 3) Capucinor: 4) Cisterciens. 5) Paulinorum 6) Carmelitarum & 7) Virginum sacrarum, Carmeliterinnen. In Capucinorum claustro legimus:

Effigiem Christi dum transis pronus honora,
Non tamen effigiem, sed quem designat, honora,
Hanc recolas & mente colas, quod cernis in ipsa,
Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa.

B. P. Johannes a Cruce primus Carmelita discalceatus, eximius Doctor mysticus, & Seraphicæ virginis ac matris nostræ Theresiæ fidelissimus in reformatione coadjutor.

Preces Romano-Catholicorum, quando statuam

 cruci-

crucifixi, die Marter oder Crucifix, transeunt, sequentes sunt

Herr JEsu Christ! durch das bitter Leyden dein,
Weist meiner arm.n Seelen gnädig seyn!
2. O JEsu, die grosse Marter dein,
Laß an uns nicht verlohren seyn.

In mœnium fossis magnos nautilos offendimus. Terra pellucida non procul a Neostadio effoditur vasorum pulcherrimorum, illis quæ porcellam dicunt, similis, vid Rauch Orario de salubritate Austriæ p. 23. Truttæ omnes, teste P Stephan Amodt lib Germania in naturæ operibus admiranda. p. 66 in flumine Fischau prope hanc civitatem, visu destitutæ dicuntur vid. plura apud Kuchelbeck. l c p. 809 E. Brown in Itinerar. p. 196 Math Puel in Itinerar Thalassico. p 33.

Per pagum *Matzendorff* & *Colenbrun*, ad quem Maria in hic dicta domo sacra, Heilig Häusigen / pallio magno amplo & prolixo, sub quo de uno latere viri, de altero fœminæ confugiebant, vestita, coloribus picta erat, cum epigraphe:

Unter deinem Schutz und Schirm fliehen wir, o heilige Gottes-Gebährerin.

ad *thermas Bad nses Austriacas f. Pannoniæ*, Baden, oppidulum thermis, quarum numero septem adsunt, celebratissimum, pervenimus. Aqua thermalis sulphure, quod ad latera se applicat plurimo & alumine imprægnata, odorem ovorum putridorum habet Familiæ nobiles Austriacæ, in specie Viennenses, æstivis mensibus, has egregias & salutares thermas, partim sanitatis, partim recreationis ergo, magna copia frequentant. De harum aquarum virtute vid Mouquenrinus, Meisfantes in Geograph. noviss. p. 799. Math. Merianus in Topo-

Topographia provinciarum Austriacarum p. 4. cum fig. thermar. it. Edw. Brown l. c. p. 195 Kuchelbeck. l. c. p. 813. In foro publico pulcherrima columna, Heil. Dreyfaltigkeits-Seule cernitur.

Hic loci, in Augustinorum monasterio, vir quidam, bona natus familia, splendide sepultus requiescit, qui alius viri ditissimi formosam amore illicito prosequutus uxorem, illum virum aliquando prehendit, columnæ alligavit, &, in præsentia istius & prolium, impure ac flagitiose cum ista inquinata vixit. Rebus Venereis peractis, adulter cum adulterata gravi somno sepulti sunt. Filiolus patri cultrum dedit, quo ligaturas sibi solvit, & adulterum cum adultera, nec non filiolam, quæ jussa patri cultrum in mensa repositum porrigere recusaverat, violentæ morti tradidit. Hic occisus postea, in dicti monasterii templo, cum pompa solenni sepultus fuit. vid. J. Wolfius Tom. II. lect. memorabil. fol. 575. it. Franc. de Rosset in Theatr. tragico, Hist. XIII. p. m. 455. it. Mannlings Curiositæten Alphabet Part. III. p. 385 &c.

Vina hujus viciniæ omnia sunt sulphurea. His thermis relictis *Mullersdorffium*, in quo chiliarcha Philippi ornatissimam arcem, cum viridario pulcherrimo, habet. ad fine muris vicum & castellum Imperiale, amoenum & venatorium, *Laxenburgum*, olim *Lachsendorffium*, duobus Vienna mill. distans, pertransivimus; sub introitum characteribus monachorum legitur: [illegible] i. e. 1390. quo anno forsan hoc castrum vetustissimum ab Alberto III. cum plica, Archiduce Austriæ, extructum. Imp. Carl. Maj. Carolus VI. haud raro hic loci ardearum venationem, die Reiger-Beitze, in deliciis habet. Falcones sæpe-

Imperatoris, qui ardeis insidiantur, hic aluntur, præterea adest collegium supremum falconeriæ, das Kays. Obrist Hof Falcken-Meister-Amt; ad quod sequentes personæ pertinent: D Joh. Albrecht, D de St. Juban, comes S. R. I. de Walsee, supremi falconeriæ aulicæ Cæs. Magistri. D. Ignat Lantz, Cæs. Aulic falconeriæ Secretarius. Ein Raiher-Falcken-Meister. Ein Millan Falcken Meister. Ein Kräd Falcken-Meister. Ein Revier-Falcken-Meister 19. Falcken-Knechte. 2. Raiher-Wärter & 2. Jungen 10 Falckner-Jungen. 2. Hunds-Jungen.

Sequuntur aves & reliqua animalia, quæ, præsente *Imperatore Carolo VI. glor.* [illegible] ao. 1721. Laxemburgi, tempore ardearum venationis, capta sunt: 114. ardeæ 88 lepores 67 picæ. 23 anates sylvest. 35 cornices 9. Mandel-Krahen. 23 Millan. forsan Milvi? 1 Corvus. 2. Perdices. 2. Dögen. 2. Wind-Wächel 2 Vultures. summa 368. animalia. Sub porta castelli gigantis costa, $2\frac{1}{2}$ ulnas longa (revera est costa balænæ) monstratur, ut pervetustus culter venatorius, Hirschfänger, ferreus, quartam centenarii partem pondere superans, quem dictus homo giganteus in vita gestasse traditur. In arce vitulus duobus capitibus pictus; ut varia animalia rariora & aves curiosæ feræ, fartura distentæ, observantur. In fossa prope arcem turris obsoleta, in qua olim lavatrina, ad quam aqua calida ex thermis Badensibus in cuniculis subterraneis ducta fuit, exstitit, adhuc cernitur. Post castellum est imperatoris theriotropheum, in quo cervi, inter quos rara quædam parva species maculata, Tendeln dicti, capreoli &c. vivi servantur. Laxemburgi & palatia viridariaque Principis Schwartzenbergensis, Comitum de Schonborn, de Schlick & multorum aliorum Imperatoris Ministrorum status, visu & admiratione digna; plura de hoc loco vid. apud Kuchelbeck. l. c. p. 800. & E. Brown. [illegible] p. 66 255

In via Viennensi Papaver corniculatum fl. rubro, Cerinthe fl. [illegible] & [illegible] luteo nobis obviam facta, & sic, absoluto itinere Sempronienfi, die X. Nov. Austriæ metropolin resalutavimus, [illegible] notatu digna in [illegible] Vale & fave. Wolffenb. 1734.


Fig I
III
IV
V
VI
II